



# Disputatio juridica inauguralis de pignoribus ac hypothecis

<https://hdl.handle.net/1874/343823>

45.

DISPUTATIO JURIDICA  
IN AUGURALIS,  
*D.E.*

Pignoribus ac Hypothecis,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

M. GERARDI de VRIES,

Philosophiae Doctoris, ejusdemque Facultatis in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissima  
Facultatis JURIDICÆ Decretò,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTRIQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
rite ac legitimè consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

ANTONIUS DRAKENBORCH, Ultrajectinus.

*Ad diem 13. Februarii, horis locoqne solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, cœc XCIII.

*A Specatissimis, nec non Gravissimis  
VIRIS ac DOMINIS.*

**D. EVERARDO DRAKENBORCHI**

J. U. D. Curiæ Trajectinæ Provincialis Advocato  
consultissimo, Collegii Cathedralis Trajectensis à  
Secretis, fratri meo amantissimo, in perpetuum  
colendo, honorando.

**D. BARTHOLOMEO vande WALL,**

Tribuno Plebis Civitatis Vesaliensis dignissimo,  
Mercatori vigilantissimo.

*PRO CREATURA TUTORIS*

**D. EVERARDO van NOORTWYCK,**

J. U. D. Curiæ Provincialis Ultrajectinæ Advoca-  
to Consultissimo, Ordinis Equestris Cœnobii, vul-  
go dicti Outwijck, Quæstori Dignissimo, Admi-  
nistranti Quæstori Generali redditum Dominico-  
rum & Magistro Censuum Diceceseos Trajectinæ  
Generosissimo, Fratribus meis charissimis, Affi-  
nitatis gradu junctis, omnem de me amorem me-  
ritis ac merituris,

*Hanc Dissertationem Inauguralem  
Juridicam humiliter*

*D. D. D.*

**ANTONIUS DRAKENBORCH.**

D I S P U T A T I O J U R I D I C A

I N A V G U R A L I S.

D E

Pignoribus & Hypothecis.

C A P U T I.

  
Onscripturus de Pignoribus ac  
Hypothecis Dissertationem non  
abs re fore arbitror prius vo-  
cum significationem, differen-  
tiam, earumque variam denota-  
tionem lectorum animis pro vi-  
ribus proponere, ut ita luculen-  
tius res dein appareat; verum  
enim vero non omnes quæ circa hanc materiam occur-  
runt quæstiones ac dubia huic Dissertationi inserre  
volui, hoc enim nimis scopum egredieretur meum:  
omissis igitur ambagibus variisque aliorum senten-  
tiis, meam brevibus opinionem declarabo positio-  
nibus.

§. I. Ignus à quibusdam deriyatur ab antiquo  
verbo pago, seu pango, quia passionis lege  
datur; mihi autem placet sententia J. Cri-  
Gaji, qua à pugno derivari contendit, quia  
res quæ pignori dantur manu traduntur.

§. II. Hinc propriè pignus dicitur cum possessio traditur  
creditori, Hypotheca autem contra, cum non transit possessio  
creditori.

4 A DISPUTATIO JURIDICA

ad creditorem. l. 9. §. 2. ff. de pign. act. itaque plerique veterum putavere *pignus* propriæ rei mobilis esse, *hypothecam* vero rei immobilis. d. l. 238. §. 2. de V. S.

§. III. *Hypotheca* autem est vox Græca, scil. ἑποθέτην, *suppositio* sive *supposition* significans, quod oritur à verbo ἐποθέτειν, quod est *supponere*. *Demosth.* autem usus est simpliciter verbo οἰθεῖν, quod est *ponere*, quod Latini imitati sunt, sic *Scavola* *J. Cius* simpliciter *pignori ponere*. l. 38. ff. de leg. 3.

§. IV. Hinc *Cæsares* in Codice constitutionum *supponere* *pignori* dixerunt, atque ita Imperator noster *Justinianus* simpliciter usus est verb. *supponere* pro *oppignorare*. in l. ult. Cod. que res *pign.* obl.

§. V. *Pignus* autem in genere consideratum comprehendit & *hypothecam*, atque ita *pignus* in generali hac significatione denotat omnem securitatem, quam debitor creditori præstat, ita ut inter has voces nominis tantum sonus differat. l. 5. §. 1. ff. de *pign.*

§. VI. In specie vero sumptum distinguitur ab *hypothecâ* variis modis, nam quod *pignus* rei traditione contractu bona fidei contrahitur, *hypotheca* autem re creditori non tradita constituitur pacto nudo vel lege. l. 9. §. 2. ff. de *pign. act.*

§. VII. Quapropter si res mobilis aut immobilis (immobilia quippe tradi posse patet ex l. 4. Cod. de *pign.*) nudo pacto vel lege *oppignoretur*, nulla interveniente traditione, consequitur creditor *jus hypothecæ*, fin vero facta sit traditio, creditor habet *jus pignoris*.

§. VIII. Hinc nova nascitur illa differentia, *pignus* scil. creditore possidente nullam pati præscriptionem.

§. IX. *Hypotheca* vero præscribitur non solum à tertio titulum habente præsentibus creditoribus, intra decem annos, absentibus vero creditoribus intra spatum viginti annorum. l. 2. Cod. si advers. Cred. præscr.

§. X. Titulum autem non habente, intra triginta annos. l. 7. Cod. de præscript. xxx vel xl annos.

§. XI. Sed &c ab ipso debitore ejusque heredibus præscribitur

# INAUGURALIS.

scribitur intra quadraginta annos. d. l. 7. l. 1. §. 1. Cod. de ann. except.

§. XII. Verum enim vero *pignus* & *hypotheca* in jure nostro sepiissime promiscue sumuntur, ac in hac generali significacione tripliciter accipiuntur.

§. XIII. 1. Autem *pignus* vel *hypotheca* rem ipsam oppugnatoram significat, atque ita *pignus* dicitur *distraha*. t. t. ff. ac Cod. de distr. pign. 2. Contractum *pignoris* denotat, de quo agitur in tit. ff. de pign. act. 3. Denique sumitur pro specie juris in re. l. 1. pr. ff. de pign. de qua hic sermo est.

## C A P U T I I.

§. I. **P**ignus in specie definitur *jus in re debitoris*, creditori in securitatem debiti tradita. l. 9. §. 2. ff. de pign. act.

§. II. Quoniam autem *pignus*, ut dixi, in genere plerunque in jure nostro sumitur, & etiam *hypothecam* in se comprehendit; ideo in animum induxi meum in ceteris hujus dissertationis capitibus, uti & in hoc, *pignus* in genere describere, ut sub *pignoris* voce etiam intelligatur *hypothecam* & vice versa.

§. III. *Pignus* itaque seu *Hypotheca* est *jus in re debitoris*, creditori in securitatem debiti constituum. l. 12. Cod. de distr. pign. l. 18. §. 2. ff. de pign. act.

§. IV. Finis enim *pignoris* est, ut creditoribus sit cautum super suo credito, quibus ideo vult, praeter personam debitoris, obligari & res ejus, plus enim cautionis est in re quam in persona l. 25. de R. f.

§. V. Prater personam dico, quia debitor ipse non liberatur *pignoris* hypothecave datione, sed manet obligatus. l. 1. Cod. de pign. l. 28. ff. de reb. cred.

§. VI. Necessario itaque requiritur debitum in cuius securitatem *pignus* accedat, unde etiam vocatur *accessio*. l. 43. ff. de sol. & liber.

§. VII. Qualecunque autem illud sit debitum nihil interest

## 6. DISPUTATIO JURIDICA I

terest sive sit proprium sive alienum, dare enim quis pignus potest sive pro sua sive pro aliena obligatione. l. 5. §. 1.  
ult. ff. de pign.

§. VIII. Neque interest an naturale an civile sit debitum, sive in praesenti contractu pignus adjiciatur sive eum praecedat, nam non tantum futuræ obligationis nomine res pignori dari possunt, sed & in conditionali obligacione, verum non aliter obligantur nisi conditio extiterit. d. 5. ff. de pign.

§. IX. Quod autem ad personas pignus constituentes attinet, possunt rem oppignorare omnes, qui liberam rerum suarum habent administrationem ac alienandi potestatem, quales sunt veri domini, sensu valentes, hi quoque qui jus in re dominio proximum habent, ut emphiteura, superficiarius. l. 15. ff. de pign.

§. X. Non possunt vero milites arma sua oppignorare. l. 14. §. 1. ff. de re milit. ne scil. armis exuti a functionibus & exercitus militaribus abstrahantur, ideoque miles qui arma sua alienavit desertori similis habetur. d. 1. d. §.

§. XI. Neque Athletæ possunt obligare spem præmiorum suorum l. 5. Cod. qua res pign. obl. ne icil. athletarum virtus ac allacritas impediatur.

§. XII. Constituitur autem recte pignus illis, qui contrahere possunt; addendus tamen est causus ille singularis. l. 24. ff. de pign. qui intelligendus est de Magistratu provinciali seu Praeside, qui in finibus provinciæ cui praest emptionem non contrahere, pro re vero mutuo data pignus accipere potest. l. 46. l. 62. in pr. ff. de contr. empt.

§. XIII. Verum enim vero non tantum per semet ipsum alicui constituitur pignus aut quis constituit, sed & per tertium, sic per filios familias patri acquiritur pignus. l. 28. ff. de pign. per servos dominis arg. l. 1. Cod. per quas person. nob. acq. uti & mandati domino vel ratum habenti per procuratorem. l. 21. ff. de pign. l. 2. Cod. per quas person. nob. acq.

C A.

## CAPUT III.

§. I. Constitutio autem pighoris est vel generalis vel specialis arg. l. 15. §. i. ff. de pign. quamvis regulariter generalis ista constitutio pertinet ad hypothecam tantum, attamen potest in certis casibus extendi ad pignus in specie.

§. II. Specialis igitur constitutio est qua obligatur certa res l. 1. §. i. l. 15. §. i. ff. de pign. neque interest an res illa sit singularis ut servus, equus, domus aut fundus, vel universitas certa, ut gr̄ex quorundam corporum. l. 13. pr. ff. de pign.

§. III. Generalis est qua obligantur omnia bona contrahentum, non tantum praesentia, sed & futura. l. ult. Cod. qua res pign. obl. etiam actiones & jura. l. 7. Cod. de hered. vel act. vend. l. 49. ff. de pign.

§. IV. Qui autem obligat omnia mobilia ac immobilia sua, is non obligat nomina ac jura sua, quia tertiam bonorum speciem constituunt distinctam à mobilibus & immobilibus. arg. l. 7. §. 4. ff. de pign. l. 15. §. 2. ff. de re judicando.

§. V. Quid igitur statuendum esset, si quis ita obligaverit, obligo omnia mea bona vel omnia mea mobilia immobiliaque.

Resp. pignori etiam censetur obligasse actiones & nomina sua, mentio quippe mobilium & immobilium ex abundantia adiecta est. arg. l. 9. ff. de supello leg. b. et hoc ni mobiliora sunt.

§. VI. Excipiuntur tamen, quae sub generali hypothetica non comprehensa censentur, illæ res, quas verisimile est debitorem obligare non voluisse, vel nunquam solitum fuisse, uti supellex, vestis vel quod specialiter diligitur.

l. 6. 7. & 8. ff. de pign.

§. VII. Res autem generaliter vel specialiter pignori datæ, non tantum simpliciter obligatae censentur, verum etiam earum accessiones. l. 21. ff. de pign. att. l. 16. & 26. ff. de pign. re enim principaliter obligata etiam singulæ ejus partes simul obligatae censentur, hinc liquet partum ancillæ

8 DISPUTATIO JURIDICA I

cillæ oppignoratæ in pari causa esse qua mater. l. i. Cod.  
de part. pign. III TUTAO

§. VIII. Verum enim vero res, ut recte oppignorentur  
in bonis debitoris esse debent. l. 6. Cod. quæ res pign. l. 2.

§. IX. Exceptio tamen est si pignus pignori detur, quod,  
licet creditor in pignore seu re sibi oppignorata dominium

non habeat, propter contrahentium tamen utilitatem acre-  
ditore oppignorari potest. l. i. Cod. si pign. pign. detur. q. b.

§. X. Oppignoratio vero ista non diutius durat, quam  
res, primo creditori pignori constituta, in causa pignoris  
maneat. l. 2. Cod. si pign. pign. nemo enim plus juris in alium  
transferre potest quam ipse haberet. l. 54. ff. de R. 7. TUTAO

§. XI. Ex dictis itaque patet rem alienam proprio nomi-  
ne cum effectu oppignorari non posse, quod tamen in qui-  
busdam exceptionem patitur, veluti si dominus rei consentiat,  
id est si voluntate ejus sit, vel etiam ignorantie eo, si postea  
ratum id habuerit. l. 20. ff. de pign. act.

§. XII. Alterius autem nomine cum effectu fit, si tutor  
vel curator rem pupilli aut adolescentis pignori obligaverit  
pro peccunia in usum istorum versa. l. 16. ff. de pign. alt. sic  
etiam procurator ex mandato potest rem alienam obligare  
pignori. l. II. §. alt. l. 12. ff. de pign. alt. ut & sine mandato  
administrator. l. II. ff. de pign.

§. XIII. Fieri vero potest, ut rei alienæ oppignoratio,  
non valens ab initio, ex post facto convalescat, scil. si res,  
quæ nondum in bonis debitoris est, pignori data, postea in  
bonis debitoris esse incipiat, ex. gr. si debitor heres domini  
rei obligata sit factus; quo casu pignus quidem non valet  
ipso jure, sed ex æquo & bono datur creditori actio utilis.  
l. 5. Cod. si alien. res pign.

§. XIV. Quid autem si dominus rei pignoratæ postea  
fiat heres debitoris, qui rem obligavit pignori? Resp.  
tunc etiam actio utilis pignoratitia datur. l. 22. ff. de pign.  
neque obstat l. 41. ff. de pign. alt. *C*ius enim Paulus in d. l.  
narrat, rationem istam scil. dominum heredem esse debitoris  
factum, non satis efficacem esse ad concedendam creditori  
pignoris

INAUGURALIS. §

pignoris persecutionem, neque hoc sufficere ad agendum utili pignoratitia actione, eundem esse dominum, qui etiam peccuniam debet; verum enim vero eam ob causam dari creditori utilem actionem pignoratitiam, quia dominus sive heres improbe resisteret quo minus utilis actio moveatur, ne scil. defunctus arguitur ex suo mendacio, tenetur enim heres tueri ac conservare, quantum potest, honorem defuncti cui successit.

§. XV. Requiritur præterea ad pignus recte constitendum ut res alienari possit. l. 9. §. 1. ff. de pign. atque ideo excluduntur fundi dotales. t. t. de fund. dot. res litigiosæ. l. ult. Cod. de reb. alien. non alien. item res feudales sine consensu lib. 2. feud. tit. 55.

§. XVI. Rem communem autem non magis debitor pignorare potest quam pro sua parte. arg. l. 3. §. 1. ff. de pign. l. unic. Cod. si comm. res pign. dat. sit; in summa itaque dicendum est, omnia, quæ in commercio sunt, pignorari posse. d. l. 9. §. 1. ff. de pign. quæ enim extra commercium sunt ut res sacrae, religiosæ &c. eatenus tantum, quatenus alienantur, etiam oppignorantur, veluti in ultima necessitate ut in redemptione captivorum vel in tempore famis. l. 21. Cod. de sacro. eccles.

§. XVII. Arma vero militis non possunt oppignorari. l. 14. §. 1. ff. de re milit. scil. istius qui adhuc in stipendio est, sic & spes præriorum, quæ pro coronis athletis pensanda sunt, privata pactione obligari nequeat, l. 5. Cod. quæ res pign. obl. poss. in præmiis autem acquisitis contrarium obtinet. l. 40. ff. de re judic.

§. XVIII. Quæstio vero inter JCtos orta mihi hic occurrit, nempe an servitutes in jure nostro oppignorari possunt? mihi autem videtur statuendum esse, quod servitutes personales oppignorari possunt ut ususfructus. arg. l. 9. §. 1. ff. de pign. l. 11. §. 2. eod. aliter vero est in usu, qui nec vendi potest & per consequentiam non oppignorari. §. 1. Inst. de usu & hab.

§. XIX. Servitutes autem reales tam urbanæ quam ru-

10. DISPUTATIO JURIDICA I

sticæ jam constitutæ pignori obligari nequeunt. l. 11. §. ult.  
ff. de pign. possunt tamen utræque de novo constitui cre-  
ditori vicinum prædium habenti, donec debitum solutum  
sit, si autem intra certum diem solutum non sit, tunc vi-  
cinus cum prædio suo eam vendere potest. l. 12. ff. eod.

C A P U T I V .

§. I. COnstituitur vero pignus variis modis, ex quibus  
varias esse patet divisiones. sit enim vel *publicum*  
vel *privatum auctoritate*, ideoque dividitur in *publi-*  
*cum* quod *necessarium & privatum* quod *voluntarium* appella-  
tur. de privato in cap. seq.

§. II. *Publicum* sive *necessarium* est quod constituitur vel  
lege, vocaturque *legale* sive *tacitum*, vel *jussu magistratus*, vo-  
caturque *prætorium*. de legali seu tacito vid. §. 9. *hujus*  
*capitis.*

§. III. *Prætorium* duobus modis constituitur, ideoque  
sub dividitur in *judiciale & prætorium in specie*. l. 2. & 3. Cod.  
si in caus. jud. pign. l. 2. ff. quib. ex caus. in poss. eatur.

§. IV. *Judiciale pignus* est quod constituitur post senten-  
tiā latam, in bonis debitoris, qui sententiæ parere re-  
cusat per pignorum captionem vel per missionem in posses-  
sionem. d. l. 2. & 3. Cod. si in caus. jud.

§. V. Ordo in *hujus pignoris* captione talis est consi-  
deranda ac servanda, quod primo capiantur res mobi-  
les, si autem nullæ sint vel non sufficient res mobi-  
les, tum initium faciendum est ab immobilibus, aliter  
non, quod si nec mobilia nec immobilia sint vel suffi-  
cient, tunc denique perveniat etiam ad jura. l. 15.  
§. 2. ff. de re jud. idem ordo in horum pignorum distra-  
ctione obtinet.

§. VI. *Pignus prætorium in specie* est quod constituitur an-  
te sententiā latam per missionem in possessionem debitoris  
contumacis, ex primo decreto factam. l. 26. ff. de pign. ult.  
l. 2. ff. quib. ex caus. in poss. eatur.

§. VII.

§. VII. Pignus autem hoc indulgetur vel coactionis vel rei servandæ causa, cum nimis debitor præstare cautio-  
nem vel respondere recusat, missio enim ista in bona de-  
bitoris ideo est ut tædio rerum suarum ab alio detentarum  
affectus aut respondeat, aut debito modo caveat. l. 4. §. 1.  
*ff. de damn. infect.*

§. VIII. Per hanc vero immissionem, ex primo decre-  
to non tam possessionem rerum quam custodiani seu nu-  
dam detentionem adquirit creditor, simul quippe hic cum  
debitore possidere jubetur, quare *in possessione non posses-  
tor esse* dicitur, atque ita non incipit missus per lon-  
gum tempus dominium capere, nisi prius secundo decre-  
to à Prætore dominus sit constitutus, l. 15. §. 16. *ff. de  
damn. infect.*

§. IX. His de prætorio dictis, sequitur *legale seu tacitum  
pignus*, quod citra conventionem dispositione juris contrahi-  
tur, vel *ex presumpta contrahentium voluntate*, vel *ob singula-  
rem debiti favorem*, vel denique *ob specialem creditorum con-  
ditionem*.

§. X. *Ex presumpta contrahentium voluntate* fit primo scil.  
cum inventa & illata in præmium urbanum locatori tacite  
obligata sint, non aliter ac si expressa de ea re conventio facta  
esset. l. ult. Cod. in quib. caus. pign. verum hoc de illis illatis  
& inventis tantum est intelligendum, quæ ea mente illuc  
inventa sunt, ut perpetuo, id est quam diu durat locatio,  
in domo sint. l. 7. §. 1. *ff. in quib. caus. pign.*

§. XI. Secundo fit cum in præciis rusticis fructus quo-  
tannis nati tacite sunt pignori obligati. l. 7. pr. *ff. in quib.  
caus. pign.* non vero inventa & illata, quæ non nisi expressa  
obligatione oppignerantur; quia satis cautum est loca-  
tori, habet enim sibi obligatos omnes fructus.

§. XII. Tertio denique *ex presumpta contrahentium  
voluntate tacitam hypothecam sibi habent concessam lega-  
tarii & fideicommissarii in rebus testatoris*. l. 1. Cod. comm.  
*de leg.*

§. XIII. Constituitur autem *ob singularem debiti favorem*,

primo scil. uxori tacita hypotheca in omnibus mariti bonis ad dotem restituendam. *l. unic. §. 1. & 15. Cod. de rei uxoria act. Nov. 97. cap. 2.* etiam in omnibus bonis illius, qui dotem suscepit.

§. XIV. Conceditur secundo ob eundem favorem tacita hypotheca marito in omnibus bonis eorum, qui dotem promiserunt, pro dote præstanda. *l. unic. §. 1. Cod. de rei uxoria act. ex eadem legis dispositione & conceditur Fisco in dote uxoris mariti primipili tacita hypotheca, verum non aliter, nisi, universis mariti bonis exhaustis, nihil supersit, ex quo Fisco satisfieri possit, l. 4. Cod. in quib. caus. pign.*

§. XV. Tertio datur Fisco in bonis illorum, qui civium numero censentur propter onus publicum, id est pro tributis & collectis. *l. 1. Cod. in quib. caus. pign. non-vero ob delicta. l. 17. l. 37. ff. de jur. fisc.*

§. XVI. Quarto denique tacitam habent hypothecam ob debiti favorem illi, qui ad refectionem ædium crediderunt. *l. 1. ff. in quib. caus. pign. quod singulari jure introductum est, quia refectione ædium pertinet ad decus & ornamentum Civitatis, verum tacita hypotheca ista non est extendenda in favorem eorum, qui ad refectionem navium aliarumve rerum crediderunt; quia privilegia stricte sunt interpretanda ne trahantur ad consequentias. l. 14. ff. de legib.*

§. XVII. Ob specialem vero creditorum favorem data est tacita hypotheca primo fisco in bonis cum fisco contrahentium. *l. 2. Cod. in quib. caus. pign. verum cessat hoc privilegium ut dixi in causa penal. l. 37. ff. de jur. fisc. ut & cessat si in privati locum succedat, quia tunc utitur privati jure. l. 6. ff. eod.*

§. XVIII. Ob eandem creditorum favorem secundo concessa est tacita hypotheca Civitati in bonis res ejus administrantium. *l. 1. Cod. quo quisque ordin. conv.*

§. XIX. Tertio datur etiam pupillis & minoribus, sub tutela vel cura constitutis, non vero eorum heredibus, tacita

tacita hypotheca in bonis tutorum curatorumve eorumque heredum ratione gestae tutelae vel curæ. l. 19. §. 1. ff. de reb. aust. iud. poss. l. 20. Cod. de admin. tut. et si non administraverunt. d. l. 20. Cod. in fin. habent & hoc privilegium pupilli & minores in rebus eorum peccunia emptis. l. 7. ff. qui pot. in pign. junct. l. 2. ff. quando ex fact. tut.

## CAPUT V.

§. I. **U**T diximus de publico, dicendum sequitur de privato. *Pignus itaque privatum est quod constituitur voluntate privatorum, dupliciter scil. conventione inter vivos vel ultima voluntate.* l. 26. ff. de pign. act.

§. II. Quod conventione fit vocatur *conventionale & expressum*, quod constituitur vel nudo pacto (ex quo tamen datur actio contra naturam nudorum pactorum, sed hoc fit jure honorario. l. 17. §. 2. ff. de pact.) vel contractu reinito. l. 1. ff. de pign. act. §. ult. Inst. quib. mod. re contrab. obl.

§. III. Quod *ultima voluntate* fit vocatur *testamentarium*, cum scil. testator rem aliquam pignori ab herede legat creditori tradendam, vel cum testator rem aliquam pignori absque traditione esse jubet. l. 12. ff. de alim. leg.

§. IV. Verum-enim-vero sæpiissime pignoris constitutioni sive contractui adjiciuntur pacta ex quibus quædam justa sunt, quædam injusta ac legibus abrogata prohibitaque, t.t. Cod. de pact. pign.

§. V. Inter justa maxime præcellit cæteris pactum *ar-  
ringtonum*, quo facultas utendi fruendique pignoris conceditur creditori loco usus peccuniae creditæ, qui debitori est concessus. l. 11. §. 1. ff. de pign.

§. VI. Dividitur plerumque in *expressum*, quod expressa conventione inter debitorem & creditorem fit. l. 1. §. 3. ff. de pign. & tacitum, quod tacita conventione & re ipsa fit ubi scil. peccunia gratis mutuo data, res, quæ fructus fert, pignori data est, quia inesse huic conventioni

14 DISPUTATIO JURIDICA

censetur, ut fructus usurarum loco & compensationis cū-  
jusdam liceat retinere. l. 8. ff. in quib. caus. pign.

§. VII. Quæstio vero non minima nobis hic occurrit, nim.  
an pactum ~~arraginatur~~, possit excedere legitimum usu-  
rarum modum? mihi autem cum multis distinguendum  
videtur esse inter tacitam & expressam conventionem.

§. VIII. In tacita quippe semper fructus sunt redi-  
gendi ad legitimum usurarum modum. d. l. 8. ff. in quib.  
caus. pign.

§. IX. In expressa autem illud considerandum an fru-  
ctus quotannis sint certi, ut & an excessus sit gravis an  
modicus. Si fructus certi sint, excessus sorti imputan-  
dus est. arg. l. 17. ff. de usur. nisi modicus sit. l. 14. Cod. eod.  
sin adæquent, ipso jure extinguent sortem. l. 1. §. 1. Cod.  
de distr. pign.

§. X. Verum si incerti sint, unius anni ubertas cum al-  
terius sterilitate compensari debet, nisi excessus nimius  
sit ac usurarium reddat contractum.

§. XI. Sæpiissime adjicitur etiam pactum, quo conve-  
nitur, ut, si suo tempore non sit soluta quantitas debita,  
res pignorata empta esse debeat justo pretio, vel jam ante,  
æstimato vel arbitrio boni viri æstimando. l. ult. pr. ff. de  
contrah. empt.

§. XII. Adiicitur adhuc & pactum, quo debitor pacisci-  
tur se pignus creditoris cessurum, nisi intra certum tempus  
solvat, quo pacto efficitur ut creditor hypothecam com-  
muni jure vendere possit. l. 1. Cod. de pact. pign.

§. XIII. Olim etiam saepe adjiebatur pactum commis-  
sorum pignori, quod est pactum, quo convenitur inter  
credитorem debitoremque, ut res pignori data pleno jure  
pro quantitate debitâ adquiratur creditori, si debtor tem-  
pore statuto non solvat.

§. XIV. Jure novo attamen pactum hoc est prohibitum  
l. fin. Cod. de pact. pign. atque idcirco inter injusta nume-  
ratur, eam ob causam scil. ne debitores egestate pressi  
adducerentur ab avaris ac iniquissimis creditoribus eo pacto

I NO A I U G U R T A U L I N S.

in duram istam conditionem, ut, sed dicto tempore non solverint, pignore, quod communiter valore suo debitam quantitatem superat, carere cogantur, quod contra bonos mores ac æquitatem juris est. 206. ff. de R. 2.

C A P U T V I.

§. I. **Q**uoniam vero una res sæpiissime pluribus obligatur diversis modis, videamus quinam in jure suo persequendo & quibus præferantur, ubi primum animadvertisendum, dominos, res suas extantes vindicantes, præferri omnibus creditoribus cuiuscunque conditionis. l. 7. §. 2. ff. depositi. Nov. 91. Cap. I.

§. II. Generalis attamen divisio est creditorum, quod sint vel *hypothecarii* vel *chirographarii*. *Hypothecarii* sunt qui res aliquas sibi tacitâ vel expressâ hypothecâ habent obligatas. *Chirographarii* sunt, qui habent actionem personalem. l. ult. Cod. qui bon. ced. poss.

§. III. Sin autem contentio inter hos de prælatione oriatur, sequenda tunc est generalis regula, *hypothecarii* præferuntur *chirographariis*. l. 9. Cod. qui pot. in pig.

§. IV. Exceptionem tamen patet hæc regula, quoniam excipiendæ sunt impensa funeris, quæ, licet tantum *chirographariam* actionem pariant, præferuntur tacitis & expressis *hypothecis* sine distinctione l. 14. §. 1. l. 45. junct. l. 43. ff. de relig. & sumpt. fun. l. ult. §. 9. Cod. de jur. delib. ut & excipiuntur impensa necessariae ad insinuationem testamenti, debitore defuncto, adhibitæ, sic & ad confessio nem inventarii aut alias hereditatis causas. d. l. ult. §. 9. Cod. de jur. delib.

§. V. *Hypothecarii* vero, si plures sint, distinguuntur inter privilegiatos, id est qui hypothecam & privilegium habent, & non privilegiatos, qui tantum hypothecam habent: privilegiati autem non privilegiatis præferuntur.

§. VI. I. Enim Fiscus omnibus præfertur, agens ex causa

## DISPUTATIO JURIDICA I

causa primipilari. l. 3. §. ult. Cod. de primipil. l. 4. Cod. in quib.  
caus. pign.

§. VII. 2. Fiscum sequitur is, qui ad militiam emen-  
dam credidit, si militiam istam sibi nominatim credita obli-  
gare cautus fuerit. Nov. 97. Cap. 4.

§. VIII. 3. Mulier post creditorem militiae in dote præ-  
fertur omnibus creditoribus tam tacitam quam expressam  
hypothecam habentibus. d. Nov. 97. Cap. 4. Nov. 109.  
Cap. 1. quia publice interest dotes mulieribus conservari,  
cum doratas esse fæminas ad sobolem procreandam re-  
plendamque liberis civitatem maxime sit necessarum. l. 1.  
ff. sol. matrim.

§. IX. 4. Sequitur ille, qui ad refectionem insulae aut  
ædificii credidit, ut & ille, qui ad comparandam vel re-  
ficiendam rem aliquam credidit, verum non aliter, nisi  
paetus fuerit, ut ea res statim sibi pignori sit, etiam is  
cujus peccunia servus captivus redemptus est, l. 1. ff. in  
quib. caus. pign. l. 5. 6. § 7. ff. qui pot. in pign. ut & pupili  
in re suis nummis comparata, favore ætatis. l. 7. ff.  
qui pot. in pign. Fiscus in bonis debitoris sui. l. 2. § 3. Cod.  
de priv. fisc. pupilli & minores in bonis tutorum & cura-  
torum ratione tutelæ ac curæ gestæ. l. 20. Cod. de ad-  
min. tut.

§. X. Inter hos autem quarto loco obvenientes credito-  
res, si de prælatione quæstio oriatur, statuendum videtur  
regula ista, privilegiatus adversus aquæ privilegium non uti-  
tur privilegio suo, atque ita is potior erit jure qui prior  
est tempore. l. 7. ff. qui pot. in pign. l. ult. verb. (exceptis)  
Cod. eod.

§. XI. 5. Et ultimo loco ponuntur cæteri omnes cre-  
ditores sive tacitam sive expressam hypothecam haben-  
tes, inter quos observatur eadem regula ac in quarto  
vidimus; Nempe qui prior est tempore potior est jure. l. 11.  
Cod. eod. observatâ tamen distinctione inter publicum & pri-  
vatum instrumentum.

§. XII. Publicum quippe potius privato est, licet prius  
sit

sit tempore, nisi forte probatae atque integræ opinionis trium vel amplius virorum subscriptiones continantur, tunc enim quasi publice confessum aestimatur. d. l. 11.

Cod.

§. XIII. Priorem autem dicendum cum existimo, non, qui prius contraxit, sed cui priori res oppignorata est. l. 11. & 12. ff. qui pot. in pign.

§. XIV. Sin vero eodem tempore pignori sit obligata eadem res duobus, tunc distinguendum puto, siue separatim an conjunctim constitutum, si separatim, tum possidentis conditio melior est. l. 10. ff. de pign. si autem tertius extraneus pignus possideat, tunc duobus istis singulis in solidum obligata censeretur. l. 16. §. 8. ff. de pign. concursu tamen partes faciunt pro rata.

§. XV. Si conjunctim, tum animadvertisendum quid actum sit inter partes, 1. Sitne actum ut singulis in solidum sit constitutum, tunc idem est ac in priorem casum, ubi separatim erat obligata res. d. l. 16. §. 8. 2. Sin pro partibus data est, singulis partem dimidiata obligata esse respondeo. l. 10. in fin. ff. de pign. non vero pro quantitate debiti. 3. Denique si nihil de eo dictum constitutumve sit, tunc pro rata obligata esse censeretur. d. l. 16. §. 8.

§. XVI. Sin autem diverso tempore pignus in eadem re est constitutum, duobus, prior est potior. l. 2. & 7. Cod. qui pot. in pign. scil. qui prius contraxit & prius pignus accepit. l. 11. pr. ff. cod.

§. XVII. Regulam dicta semper vera est in cujuscunque generis hypothecariis creditoribus, tacitam vel expressam, judicalem, an praetoriam in specie sic dictam, sive ex testamento ejusdem an diversi generis hypothecam habentibus, nihil interest. l. 2. & 4. Cod. qui pot. in pign.

§. XVIII. Excipitur tamen aliquando praetoria in specie sic dicta hypotheca, ubi creditores inter se considerati necessario concurrere debent, nec priores posterioribus preferuntur. l. 5. §. 3. ff. ut in poss. legat. ubi vero

cum alterius generis creditoribus concurrunt, dicta regula obtinet.

§. XIX. Hactenus de hypothecariis; sequuntur jam Chirographarii, qui ut diximus habent actionem personalē, & sunt vel privilegiati vel non privilegiati, privilegiati cæteris præferuntur, non privilegiati concurrunt sine ratione temporis. l. 26. & 32. ff. de reb. auct. jud. poss.

### C A P U T VII.

§. I. **H**ucusque vidimus quid sit pignus, quomodo & quibus constituitur, videamus quinam sint effectus pignoris constituti, habet enim creditor cui pignus constitutum est, l. *Jus persecutionis*. Quo bona obligata persequitur, non tantum contra debitorem & possidentem, sed & contra quem libet alium possessorem; potiora jura non habentem. l. 8. & 24. *Cod. de pign.*

§. II. persequitur itaque bona sibi obligata vel remedium ordinariis sive petitorii, vel extraordinariis sive possessoriis.

§. III. Extraordinaria sive possessoria duplia sunt, nim. vel interdictum Salvianum, vel interdictum ne vis fiat ei.

§. IV. Salvianum autem est interdictum acquirendæ possessionis, quo creditor principaliter possessionem rei persequitur, daturque directa hujus interdicti actio domino fundi ad consequendam possessionem rerum quas colonus pro mercede obligavit. §. 3. in fin. *Inst. de interd. l. 1. ff. de interd. salvian.* utilis vero datur reliquis creditoribus hereditariis. l. 1. *Cod. de precario*.

§. V. Differt hoc interdictum à Serviana & quasi Serviana actione, primo quod hæc sit possessorium, illud petitoriae, secundo quod hoc regulariter contra tertium non competat, sed contra ipsum debitorem. d. l. 1. nisi in casu l. 1. ff. de interd. Salv.

§. VI. Interdictum vero ne vis fiat ei est prohibitorium & restitut.

*titutorium.* l. 3. §. 1. ff. ne vis fiat ei. ex quo hodie actio pœnalis in factum datur missio & heredibus ejus ex primo decreto adversus omnes qui dolo malo faciunt, quo minus missus quietè possit esse in possessione, non vero contra heredes, nisi missus ex causa legatorum vel fideicommissorum servandorum causa impediatur. l. 1. pr. §. 8. ff. eod. ad hoc ut, quanti res est, in quam missio facta est, præstetur. d. l. 1. pr. & §. 5.

§. VII. Quieta enim possessio impeditur scil. si ex primo decreto missus non admittatur. d. l. 1. pr. & §. 1. vel si turbetur. d. l. 1. §. 1. vel si dejectus sit. d. l. 1. §. 3. scil. dolo malo. d. l. 1. d. pr. ex quo patet ex delicto hanc actionem oriri. d. l. 1. §. ult. unde regulariter intra annum competere, non postea, sciendum est; ex causa vero legatorum vel fideicommissorum perpetua est. d. l. 1. §. ult. ff. ne vis fiat ei.

§. VIII. Ordinaria remedia sive petitoria etiam sunt duplia. scil. *actio Serviana & quasi Serviana* (à Prætore Servio sic dicta) §. 7. *Inst. de act.*

§. IX. Serviana est actio realis Prætoria, qua dominus fundi res coloni, pignoris jure sibi obligatas, adversus quemcunque possessorem persequitur. §. 7. *Inst. de act.*

§. X. Quasi Serviana, quæ etiam utilis Serviana vocatur, est actio Prætoria realis, qua omnes creditores hypothecarii (excepto domino fundi) res sibi sive expresse sive tacite oppignoratas adversus quoscunque possessores persequuntur. d. §. 7. §. de act. locum habet in omni pignore sive sit legale sive Prætorium sive privatum. l. 1. *Cod. comm. de legat.* l. 2. *Cod. de pign. prator.*

§. XI. Ad rem pignoratam his actionibus persequendam necessarium est ut creditor, tanquam actor, probet se cum debitore de pignore legitime convenisse. l. 15. §. 1. ff. *de pign.* ut & necessario probanda sit possessio adversarii. l. 16. §. 3. ff. eod. saepè etiam probandum est creditori, rem obligatam tempore obligationis contractæ in bonis debitoris fuisse, sed hoc solum locum habet in speciali pignore. d. l. 15. §. 1. ff. *de pign.*

## DISPUTATIO JURIDICA I

§. XII. Creditor vero olim habebat electionem, an personaliter contra debitorem, an realiter contra possessorem agere vellet. *l. fin. Cod. de obl. §. act.* quod jure novo correctum est; habet enim possessor beneficium excussionis, hoc est prius debitor principalis & fidejussores ejus sunt executiendi. *auth. (sed hodie) Cod. de obl. §. act.*

§. XIII. 2. Est & alter effectus pignoris creditori, nim. quod habeat *jus retentionis*, potest quippe creditor possidens rem oppignoratam retinere non solum pro ipso debito, sed & pro alio debito, quod ab eodem debitore sine pignore eidem creditor debetur. *l. i. pr. ff. de pign. junct. l. un. Cod. etiam ob Chirograph. pecc.*

§. XIV. Præterea retentio locum habet pro impensis, in rem pignoratam à creditore possidente factis. *l. 6. Cod. de pign. ut & pro usuris nondum solutis. l. 4. Cod. de usur.*

§. XV. 3. Conceditur & creditori *jus prelationis*, de quo jam supra in præcedente capite sexto egimus. §. 16. 4. Habet & *jus distractionis*. de quo vide caput sequens.

## CAPUT VIII.

§. I. Quartus, ut dixi, effectus pignoris constituti est *jus distractionis*, quo creditori, cum frustra solutionem à debitore expectavit, conceditur potestas pignus distrahendi, ut debitum ex distracti pignoris pretio consequatur. *l. 7. §. 1. ff. de reb. cor. qui sub tut.*

§. II. Pignus autem dupliciter distrahitur vel *publice* & *anterioritate Magistratus Judicis* vel *privatum* & *anterioritate privatorum*.

§. III. In privatâ distractione in primis considerandum est tempus & modus, tempus scil. ut non distrahat nisi debitor in mora sit solvendi. *l. 7. §. 14. Cod. de distrat. pign. five per interpellationem creditoris. l. 10. Cod. de pign. five per lapsum diei solutionis praefixi. l. 7. Cod. de distr. pign.*

§. IV.

§. IV. Circa modum observandum est, ut alienetur bona fide & solemniter. l. 9. Cod. eod. bona fide scil. ut absit omnis dolus, ne res viliori pretio vendatur, l. 4. Cod. eod. præterea bona fides excludit omnem collusionem & simulationem. d. l. 4. 7. & 10. Cod. eod.

§. V. Solenniter sit venditio, cum observantur ea, quæ in vendendis pignoribus requiruntur, circa quæ præcipue tria sunt animadvertisenda. 1. An pactum de alienando adjectum sit. 2. An nullum sit adjectum pactum. 3. An pactum de non alienando sit adjectum.

§. VI. In primo casu potest distractio sive alienatio fieri sine ulla ulteriori denunciatione. l. 7. Cod. de distr. pign. l. 8. §. 3. ff. de pign. act.

§. VII. In secundo vero casu denunciatio facienda est, sufficit tamen unica exhibitis testibus, & post hanc biennium est expectandum, ac tunc licentia conceditur creditori pignus vendendi. l. fin. §. 1. Cod. de jur. domin. impeir.

§. VIII. In tertio casu etiam non impeditur distractio, et si pactum de non alienando sit adjectum, sed requiruntur tres denunciations per arbitraria intervalla. l. 4 ff. de pign. act. sunt quidam, qui statuunt sufficere, si inter singulas denunciations unus dies intercedat, alii autem qui putant, quod ad minimum debeant intercedere decem dies: sed mihi rectius hoc inter arbitraria referri & pro qualitate objecti aliquando longius aliquando brevius intervallum sufficere videtur.

§. IX. Pignoris itaque legitime distracti effectus est translatio dominii in emptorem. l. 46. ff. de acquir. rer. dom. & conditio usu-capiendi, si postea terrius rem evincat, nam creditor, qui rem jure suo vendidit, de evictione non tenetur. l. 10. ff. de distr. pign. datur tamen actio utilis emptori ex empto contra debitorem. l. 12. §. 1. ff. cod. vel actio pignoratitia contraria, quam creditor cedere tenetur. l. 13. ff. cod.

§. X. Si autem pignus illegitime distractum sit, tunc distinguendum est, aut creditor distraxit pignus sine jure,

## DISPUTATIO JURIDICA

puta ante moram, vel diem distractioni pacto destinatum, ac tunc venditio est ipso jure nulla, poteritque debitor rem venditam vindicare à quocunque possessore. l. 2. Cod. si vend. pign. agatur. nisi cum usu-capta fuerit, tunc enim petere debet pretium à creditore, qui non jure vendidit eam. d. l. 2. Cod. in fin.

§. XI. Aut creditor jus quidem habuit, sed non observavit bonam fidem sive solennitates, tunc enim adversus creditorem dabitur actio pignoratitia ad interesse. l. 4. & 7. Cod. de distr. pign. aut etiam si emptor fraudis particeps fuit, datur adversus emptorem actio utilis exempto, ut, oblatâ pecunia cum usuris, rem venditam cum omni causa restituat. l. 4. Cod. si vend. pign. agatur.

§. XII. Pignus vero judiciale, semper auctoritate Judicis Magistratusve distrahitur, quippe post rem judicatam à Judice primum quatuor menses ad solutionem debitori conceduntur. l. 2. & 3. §. 1. Cod. de usur. rei judic. quibus lapsis ac solutione cessante pignorum captio procedit, post quam & duo menses expectantur. l. 31. ff. de re judic. hisce etiam elapsis nullâ sequutâ solutione pignus sub hastâ venditur, & si pluris constet, quam debeatur, superfluum restituatur. d. l. 31.

§. XIII. Videamus ultimo loco quomodo pignus constitutum sive jus ejus solvatur: ac primo quidem solvi videtur vel ratione debiti principalis, vel ratione ipsius pignoris.

§. XIV. Ratione debiti principalis solvitur vel ipso jure, scil. si debitum extinguatur naturali solutione vel aliâ satisfactione, puta confusione, novatione &c. l. 9. §. 3. ff. de pign. act. l. 6. ff. de distr. pign. l. 4. Cod. qui pot. in pign. l. 18. ff. de novat. sublatâ enim causa principali tollitur & id, quod accessionis vice fungitur.

§. XV. Vel etiam solvitur exceptionis auxilio, scil. expressa remissione debiti. l. 17. §. 2. ff. de pass. sive etiam tacita. l. 7. Cod. de remiss. pign. ut & si creditor absolutus sit per judicis sententiam licet iniquam. l. 13. ff. de distr. pign.

§. XVI.

§. XVI. Ratione ipsius pignoris solvitur. 1. Scil. ob initam conventionem ex. gr. si sit ad certum tempus constitutum, l. 6. pr. ff. de disfr. pign. 2. Solvitur remissione pignoris expressa, per pactum ne res pignori aut hypothecæ sit. l. 8. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel tacita, cum pignus redditur. l. 3. ff. de pastis. 3. Solvitur, si creditor consentiat pignus alienari vel ulterius pignorari. l. 7. pr. l. 8. §. 11. l. 12. ff. quib. mod. pign. 4. Solvitur pignus per solutionem juris constitutis, domini scil. minus pleni. l. 31. ff. de pign. 5. Interitu ipsius rei oppignorata. l. 8. pr. ff. quib. mod. pign. hoc est si ita res periit. l. 29. §. 2. ff. de pign. ut nihil super sit.

---

## COROLLARIA.

### I.

*NON valet mortis causa donatio, facta  
eo animo se nullo modo revocatu-  
rum.*

### II.

*Mandator vulneris tenetur de cæde sub-  
secutâ.*

*Tutela*

## **F I L E D U A N D**

*Tutela datio non potest mandari.*

I. V.

*Contractus metu initus non est ipso jure  
nullus, sed rescinditur per exceptionem  
quod metus causâ.*

# F I N I S.

